

ad portum sua peregrinatione, ita quod non sperabatur quod ibi deberet christianus aliquis remanere. Imperator venit in Accon in media quadragesima (1) festinans modis quibus poterat transfretare; milites theonicos secum trahere conabatur, sed in hac parte proficere non poterat prout vellet, cum timerent excommunicationis sententiam et de tempore magnam fiduciam non haberent. Jam aliqui peregrini interfecti fuerant adeuntes Sepulchrum, unde paulatim transeuntibus videbatur hujusmodi malitiis securitas interdici. Que postea evenient curabimus fideliter ac diligenter sanctitati vestre quam cito poterimus intimare. Transmittenda duximus scripta eadem per diversos nuntios ut saltem unus bravium apprehendat.

Datum Accon, VII kalendas martii (2).

[Februario
vel ineunte
martio.]

Thomasius, Acerrarum comes, scribit imperatori Johannem de Brienna cum exercitu papali regnum intravisse terramque et homines igne et rapina vexare, monens ut ipsius securitati in redeundo provideat.

(Edidit MATT. PARIS., *Hist. maj. Anglor.* ad ann. 1229, p. 243.)

Excellentissimo domino Friderico, Dei gratia imperatori Romanorum et semper augusto et Siculorum regi potentissimo, Thomas, comes Acerra-

(1) Scilicet 22 martii.

(2) Sic in duobus. Legendum autem arbitramur VII kalendas aprilis, quum textus ipse evidentissime demonstret hanc epistolam circa exeuntem martium scriptam fuisse. Ad Papam vero, qua nescimus causa, tredecimo die junii nondum pervenerat ut legimus in litteris Gregorii archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis ejus directis, n° 24: « Ea que F. dictus imperator egit » in partibus transmarinis ideo vobis hactenus intimare distulimus, quia speramus quod venerabilis frater noster Patriarcha et Templi et Hospitalis magistri Hierosolymitani..... nobis » illa plenius intimabunt, et tunc certius ea vobis poterimus declarare... Dat. Perusii, idibus » junii, pontif. nost. ann. tertio. »

rum, suus in omnibus fidelis ac devotus (1), salutem et de hostibus triumphare. Post recessum vestrum, domine excellentissime, Gregorius pontifex romanus et magnificentie vestre hostis publicus, congregato exercitu copioso per Johannem de Brennea regem quondam Hierosolymorum et alios quosdam viros strenuos quos militiae sue principes constituit, terram vestram et hominum vestrorum hostiliter ingressus, contra legem christianam decrevit vos in gladio vincere materiali quem non potuit dejicere in gladio, ut asserit, spirituali. Nam Johannes prefatus de regno Francorum et aliis conterminis regionibus militiam contrahens non modicam, sub spe imperii si vos possit subigere, de thesauris apostolicis suis militibus stipendia ministrat. Itaque idem Johannes et alii sedis apostolice principes militiae terram vestram et hominum vestrorum hostiliter ingressi (2), ignem in edificiis et villis accumulans, spolia et armenta rapiunt, homines captos diversis cruciatibus torquent et ad gravissimam

(1) Verisimile est Thomasius imperatoris bajulum tunc apud Accon morantem quae de statu regni acceperat celeriter Joppen ad Fridericum transmisisse, istosque rumores esse quos magister Teutonicorum huc septimo die martii pervenisse testatur. Vid. supra p. 92, et in Additamentis, p. 486-487.

(2) Rem paulo fusius, ad explicandam sequentium seriem, describendam duximus ex scriptoris coevi et oculati testis narratione. Johannes de Brienna una cum cardinale Johanne de Columna regnum non intrasse videtur nisi exeunte martio vel ineunte aprili, ducem Spoletanum prosecutus quem e Marchia Anconitana expulsus apud Sulmonam in Aprutio conclusit. Altera autem exercitus papalis pars octavo decimo mensis januarii die jamjam fines regni per Ceperanum fuerat ingressa, cui praeerant Pandolphus capellanus Papae et isti duo proscripti comites, Thomasius scilicet Celanensis et Rogerius de Aquila. Septimo decimo martii magister justitarius Henricus de Morra copiarum imperialium praesul juxta sanctum Germanum devictus est, et tota regio inter Gariglianum et Vulturum, exceptis Capua et paucis admodum locis, se pontificali ditioni subiecit. Mense aprili Pelagius Albanensis episcopus clavesignatorum dux effectus Capuam frustra obsidet, dein Alifiam, Pedem Montis et Telesium capit, Beneventum occupat et usque ad Montem Fusculum tandem procedit. Audito tamen rumore quod imperator in Apuliam redierat, cum exercitu suo terrore et pene dissoluto retrocedit, Johanni de Brienna mandans ut ad se veniat. Iste autem Sulmonae obsidione soluta, per vallem Sangri iter instituit, Vulturum transit et apud Telesium Pelagii copiis suas adjungit; qui ambo tunc temporis Cajaciam oppugnant. Cf. RIOC. DE S. GERM., *Chronio.* ad ann., passim. « Dominus Pelagius domini » Papae legatus venit cum exercitu ecclesiae apud Suessam et obsedit eam et devastavit ipsam » et stetit ibi usque ad festum beati Michaelis Archangeli de mense maii (8 maii). » *Chron. Suess.* ap. ZACHARIA, *Iter litter.*, p. 228.

redemptionem compellunt, nulli sexui parcunt, nec cuiquam extra ecclesiam vel cimiterium deferunt (4), vicos et castella capiunt, non habentes ad hoc respectum quod sitis in servitio Jesu Christi. Et si quis de imperatore mentionem facit, Johannes de Brennes affirmat non esse alium imperatorem preter ipsum. Mirantur super his amici vestri, excellentissime imperator, et precipue clerus imperii vestri qua consideratione et conscientia talia facere potest pontifex romanus et contra christianos arma movere, maxime cum Dominus dixerit Petro in gladio materiali percutere volenti : « Mitte gladium tuum in vaginam, omnis enim qui percusserit in gladio peribit; » vel quo jure possit ille qui quasi diebus singulis predones, incendiarios et christianorum tortores excommunicat et ab Ecclesie unitate separat, talibus assensum prebere et auctoritatem prestare similiter admirantur. Provideatis nunc, obsecro, imperator potentissime, securitati vestre et honori super premissis, quia inimicus vester sepe dictus Johannes de Brennes omnes portus cismarinos cum exploratoribus armatis non paucis munivit, ut si forte incautus a peregrinatione rediretis, ipse vos sub captione conclusum incarceraret. Quod Dominus avertat.

Apud Ripam-
transonem,
martio.

Raynaldus, dux Spoleti, imperialis Tusciae et Marchiae legatus, homines civitatis Osimi et castris Recanati et praeterea civitatem Humanam in omnibus juribus et possessionibus eorum ibidem expressis, pro eorum gratis servitiis, manutenere et conservare promittit.

(4) Maxima etenim crudelitate stipendarios Papae, qui clavesignati dicebantur, in hoc bello usos fuisse ex ipsis Gregorii litteris (n° 44) accipimus, quum ita Albanensi episcopo mandat : « Quatenus illos quos in manus exercitus Jesu Christi de cetero dextra exaltantis concluderit » sine omni occasione, detruncatione vel mutilatione membrorum... sic caute faciat custodiri » ut plus libertatis habere se gaudeant sic captivi quam sub Egyptiaca servitute;... ministris et » aliis qui presunt in exercitu... districtius inhibendo ne similia deinceps in ipso exercitu alii » quis attemptare presumat. Dat. Perusii, XIV kal. junii, ann. III (49 maii). »